

15920.

DE  
**GRAVIDITATE APPARENTE**  
RESPECTU MEDICINÆ LEGALIS HABITO.

—  
**DISSERTATIO INAUGURALIS**


QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
**UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA  
DORPATENSI**

UT  
**SUMMI IN MEDICINA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR  
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENSURUS

CONSCRIPSIT

*Ferdinandus Ziehm.*



DORPATI LIVONORUM,  
TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCCLIV.

VIRO

HUMANISSIMO

Imprimatur  
ea conditione ut, simulac typis fuerit excusa haec dissertatio, numerus exem-  
plorum lege praescriptus tradatur collegio ad libros inspiciendos constituto.

Dorpati Liv. die 11. m. Mart. a. 1854.

(L. S.)

Dr. **Bidder**,  
ord. med. b. t. Decanus.

ALEXANDRO WULFENIUS

GRATO ANIMO

D 17452

AUCTOR.

**N**e forte lectoris benevoli in legenda hac dissertatione spes decipiatur, statim ab initio admonendum videtur, me non id maxime egisse, ut diagnosim de differentia, quae est inter varias graviditatis apparentis formas et graviditatem veram, ponerem, sed potius hoc mihi propositum habuisse, ut et medico privatim artem usu practico colenti et praecipue medico forensi, qui si quando in graviditate dignoscenda errorem commiserit, dubium non est, quin sequelas graviores contrahat, casibus dubiis rite in ordines redactis, potestas fieret in dijudicandis casibus ipsi obviis similium reminiscendi eaque analogiae ratione tum majore circumspectione tum verius iudicium suum faciendi.

Priusquam ad ipsam rem, quam tractandam delegimus, transeamus, paucis ac breviter praecipuorum casuum iniicienda est mentio, in quibus a medico forensi, ut in femina, utrum gravida sit necne, explorationem instituat, iudices postulare possint.

Graviditas cuique feminae jus facit poscendi, ut propter statum suum et embryi gratia de se clementius

agatur. Etenim, etiamsi nasciturus pro parte matris habendus sit, tamen, si eius commodum agitur, persona a matre separata existimatur, qua de causa omnes conatus, etiam qui a matre aliisve fiant, ut evolutio eius psychica viresque vitales inhi-beantur, vel, ne foetus lucem adspiciat, impediatur, secundum eas leges iudicandi sunt, quibus abortus procuratio vetatur. Quo fit, ut omnes res, quae ad feminae gravidae statum, vel ad foetum vim noxiam exhibere possint, veluti actiones iudiciales in iuramentis solemnibus coram iudicibus dandis et similibus, cum clementia et lenitate suscipiantur, saltem non alio modo nisi in gravidae ipsius domo peractae. Quae femina si inquisitioni criminali implicata fuerit, curatur, ut in meliore habeatur carcere, neve poena sumenda prius, quam puerperio perfecte transacto vel lactatione finita, capiatur. Unde manifestum est, hisce in casibus, praesertim in eo, quem ultimum diximus, feminae interesse, ut graviditatem simulet. Praeterea medici forenses ita decreverunt, graviditatis processus multis in rebus talem ad animum effectum habere, ut status ii provocentur, qui, in numero turbationum psychicarum habiti, ad voluntatem liberam coercendam ideoque etiam ad tollendam potestatem culpam imputandi valeant. Deinde femina, si forte ad aetatem nubendo lege praescriptam nondum provecta est, quo facilius hoc postulato solvatur, graviditatem causari potest. Idem evenire potuerit, ut in hereditatibus commoda pecuniaria acquirantur. Sic, ut exemplo utar, femina, marito paulo ante mortuo, graviditatem simulare potest, ut sibi rei

familiaris, ab illo relictae, ius concedatur, quod secundum leges cognatorum mortui sit. Similiter in divortii femina, siquidem a coniuge sterilitatis accusetur, graviditatem mentiri potest. Denique, ut alium quemdam casum, quo graviditas simulari queat, afferam, memorandum est, secundum leges francogallicas nuptias ante aetatem legitimam factas, si vel uterque coniugum vel alter iam ante sex menses ad aetatem lege postulatam provectus sit, uxorque eam aetatem nondum assecuta, antequam hi sex menses transacti sint, conceperit, — iam irritas infectasque haberi non posse. Quo in casu uxor, si matrimonium ratum haberi voluerit, se gravidam esse simulare possit.

Quae pauca exempla, ut intelligatur, quanti momenti graviditatis diagnosis in medicina forensi putanda sit, sufficere videntur.

Medicus, antequam ad quaestionem eam respondeat, utrum graviditas adsit necne, sibi ipse hanc quaestionem offerre possit, num femina, in qua exploratio facienda sit, gravida fieri potuerit. Quaerendum est v. c., num ea sit aetate, qua gravida esse queat, indeque num femina organis genitalibus vitiosis vel valetudine universa turbata concipere et gravida existere possit. Verumtamen pro diversa corporis constitutione, pro vivendi ratione et climate menstruorum et aetatis decrepitae initium magnopere variat. Namque et puellulas annorum 1—5 et mulieres annos 90, quin etiam 105 natas menstruis usas esse, memoriae est proditum. Ceterum, licet menstruationis initium

concupiendi facultatem adesse probabile reddat, tamen, quum feminas, menstruis nunquam usas, concepisse satis constet, si quando menses defecerint, nullo modo contrarium evinci potest.

Genitalium indolem vitiosam non utique pro sterilitatis causa habendam esse, dummodo aditus ad uterum, nec non ad tubas Fallopii et ovaria (saltem unius lateris) pateat, hoc, ut alios omittam, maxime a Schmalz <sup>1)</sup> seniore est demonstratum. Tubarum atresia vero ut cognoscatur, fieri nequit. Qua de re uno, quem expositurus sum, casu contineamur. Si in femina, quae se gravidam esse simulet, completa vaginae atresia inventa fuerit, quam ante conceptionis simulatae tempus iam adfuisse necesse sit, mendacium erit statuendum. Valetudo universa turbata ac dyscrasiae, auctore Schmalz, concipiendi facultatem non tollunt, quin iam tuberculosis eam adiuvari dicitur. Deinde conceptio atque graviditas et in puerperio et lactationis tempore existere possunt. Nam lactis secretio, quamvis concipiendi facultatem imminuat, tamen totam nequaquam tollit. Femina infantem lactans etiamsi vel paucis post partum diebus, lochiis etiamtum fluentibus, concipere possit, tamen, si ceteroquin rerum conditio non infausta fuerit, quo plus temporis ex partu elapsum sit, eo facilius gravis evadit.

Quibus praemissis ad doctrinam de graviditate breviter exponendam transire liceat. In libris, qui sunt

1) Siebenhaar, encyclopäid. Handb. der gerichtl. Arzneikunde. 1837. Vol. 1. pag. 332 et seq.

de arte obstetricia, signa graviditatis certa et incerta inter se distingui, notum est. Quorum posteriora in universum ea praebent phaenomena, quae ad matrem pertineant, velut menstruorum cessatio, abdominis mammarumque intumescencia, lactis secretio, strepitus, quem dicunt, uterinus, nausea, vomitus omnisque symptomatum sympathicorum cohors, a statu uteri commutato profecta. Signa graviditatis certa solis iis consistunt phaenomenis, quae a foetu originem ducant, eiusque praesentia via physica efficiantur i. e. motibus activis passivisque et palpitatione cordis percepta. Sunt qui praeterea ipsum partum foetusque aut vivi aut mortui expulsionem, foetumque in cadaveris sectione alio loco, quam in utero, inventum, et monstrositates per inclusionem (foetum in foetu) huc referant. At tamen, exceptis cordis palpitatione et praesentia foetus vel in lucem editi vel emortui atque in utero retenti, omnia cetera indicia, tum certa tum incerta, rerum conditione favente, magis minusve fallacia se praestare possunt.

Itaque, quum fere omnia graviditatis signa parum certa sint, medicus forensis sibi persuadeat oportet, nisi signa certa maiore ex parte manifesta sint, iudicium faciendum non esse. Signa graviditatis certa ut vere evincantur, non semper contingit, nam interdum res certissimae tanta involutae sunt obscuritate, ut iam plurimi errores admissi fuerint. Etenim variis conditionibus, quae a commutationum tempore graviditatis solitarum causis non dependeant, menstruorum cessatio, abdominis mammarumque intumescencia, lactis secretio,

quidam motus, abdominis contractiones vehementes ac peculiare, phaenomena acustica strepitui uterino similia, denique dolores laboresque diutius continuati, qui parturientium nisibus magis minusve similes appareant, quemadmodum ex observationum, quas expositurus sum, comparatione elucet, provocari possunt. Quos casus, quo melius memoria teneantur, in certos ordines reductos conferre conabimur. Dividimus enim, ut colligamus, sicut clm. Leibnitz vere dixisse iudicamus. In qua divisione nostra finem medico-forensem sequimur, quae licentia omnibus systematis vitio verti potest. Ut autem, quandocumque naturam systematum vinculis adstringimus, variae inveniuntur species, quae ad nullum genus pertinere videantur, item in hac divisione similis rei ratio est.

In feminae graviditate exploranda duplicem tantum examinis eventum statuere licet: aut 1) gravida est femina, aut 2) non est. Quorum ordinum uterque, prout aut femina aut medicus errorem commisit, in duas partes distribuitur. Namque aut 1) femina, quamvis si tgravida, tamen pro non gravida habetur, aut 2) femina, quamquam praegnans, hunc statum celat, aut 3) femina, etsi non est gravida, tamen gravida existimari potest, aut 4) femina, licet non sit praegnans, tamen se gravidam esse simulat. Ex quibus ordinibus solos duos, quos ultimos dixi, hac commentatione pertractare animum induxi.

**A. Femina, quamvis gravida non sit, tamen a se ipsa vel ab aliis praegnans haberi potest.**

Quovis in casu, in quo ovuli fecundati evolutio, quod utrum ad normam an secus formatum sit, nihili interest, talium symptomatum serie indicatur, quae cum graviditate coniuncta esse usu compertum sit, graviditas genuina vel vera dicitur. Sin autem, etiamsi symptomata adsint, nullum tamen ovulum fecundatum in utero inest, hic status graviditatis apparentis nomine denotatur.

Signa, quae graviditati apparenti sunt propria, aut a commutationibus organicis in utero vel circa uterum exortis, aut ab affectione nervosa (plerumque hysterica) initium capiunt, aut denique turbationibus animi (hallucinationibus) nituntur. Verumtamen iam a principio monendum est, ad omnia etiam signa mere physica, ideoque re vera exstantia in graviditate apparente fere semper alterum quoddam momentum accedere, quo graviditatis apparentis status efficiatur. Quod momentum accedens nullum est aliud nisi imaginum falsarum lusus, cogitando meditandoque ex imaginandi facultate profectus, ad quem mutationes organismi physicae magis minusve ansam dederint.

*I., Graviditatis apparentis signa ex mutationibus organicis orta.*

a) Signa obesitate naturali oblata, mensium vel deminutione vel cessatione adiuncta, iam saepe gravidi-

tatis suspicionem excitarunt. Sic mihi prof. honoratissimus Dr. Krause narravit, feminam quandam iuniorem, nuptam, sibi ipsam gravidam visam esse, abdominis integumentis crassitudine adauctis, mammis turgidis, colostri secretionem observata, mensibus tamen adhuc perdurantibus. At, exploratione interna instituta, feminam non esse gravidam coniectari potuit. Qui status, quum per quartam anni partem mansisset, postea evanuit. Similes casus a cl. Moriceau aliisque sunt traditi. In feminis ad aetatem decrepitam transeuntibus, in quibus plerumque magna adipis copia in abdominis tegumentis deposita invenitur, eiusmodi errores, motibus perceptis adiuti, non raro reperiuntur. G. Schmitt <sup>1)</sup> ex sua praxi 5 casus, in quibus feminae iam decrepitae perquam obesae et ipsae sibi visae fuerint gravidae et ab aliis putatae sint, affert.

b) Amenorrhoeam idem efficere posse, inter alios casus maxime memorabilis ille a Russel <sup>2)</sup> de Maria Jibaud narratus satis coarguit. Quae femina per 20 annos symptomata graviditatis maxime conspicua, ut menstrua suppressa, abdomen tumefactum, mammae lacte impletas, quin etiam motus foetales obtulit, nono quoque mense circumacto acerrimos dolores ad partum percepit, sanguinemque ex utero emisit, quo facto symptomatum series de integro apparere coepit. Cadaveris sectio organa genitalia ad normam formata ostendit.

1) Sammlung zweifelhafter Schwangerschaftsfälle. Wien 1818.

2) Froriep's Notizen etc. Decbr. 1824. Nr. 178 p. 30.

Femina annorum 47 <sup>1)</sup>, robusta corporis constitutione praedita, quae etiam aliquoties partum ediderat, quum anno aetatis 46 menstrua cessassent, ab eo inde tempore omnia graviditatis signa sensit. Mensibus 4 elapsis, quum abdomen eius, quae esse solet, magnitudinis appareret, mense dimidio post haud obscuras foetus motiones percepit. Chaudron, quo medico illa femina utebatur, massam oblongam supra umbilicum positam invenit, quam uterum esse existimavit. Exploratione autem interna facta, quum portio vaginalis uterique ipse normalia cernerentur, graviditatem adesse medicus negavit. Hoc statu usque ad mensem nonum continuato, quo tempore motus foetales admodum aucti percipiuntur, femina se gravidam esse persuasissimum habuit. Aliquot diebus post mulier medico scripsit „qu'elle était accouchée sans faire d'enfants.“ Brevi, valetudine pristina restituta, menses, nullo post eorum cessationem sanguine effuso nec aëre emisso, nec aliis maioris momenti symptomatis deprehensis, rursus apparuerunt.

In eundem ordinem alter quidam casus a G. Schmitt <sup>2)</sup> allatus, in quo infarctus uteri uterusque incrassatus atque relaxatus graviditatem simulaverint, referendus esse videtur.

Mulier, annos 40 nata, fervida, menstruis, quae antea a norma nunquam discesserant, desinentibus,

1) Devergie, Méd. lég. Paris 1842. T. I. p. 451—52.

2) l. c. casus 19.

se gravidam esse opinatur. Mense exacto, sanguis pallidus et serosus profluit, doloribus etiam in regione sacrali perceptis. Abdomine in regione hypogastrica tumefacto, mammis turgescens, aliquot mensibus post femina se adeo motus foetales sentire affirmat. Schmitt graviditatem adesse non dubitans, quotiescunque sanguinis profusio recurrit, ne abortus existat, metuit. Remediis haemostaticis usitatis et venaesectione nihil auxilii afferentibus, et abdominis ambitus accrevit et foetus motiones, teste muliere, magis apertae evaserunt, quas tamen nunquam tam fortes, tamque crebras aut eiusdem, atque in prioribus graviditatibus, indolis esse contendit. Octavo graviditatis apparentis mense exploratione facta, Schmitt inferius uteri segmentum extensum, rotundum, duriusculum sed elasticum, qualis substantia cavernosa contrectanti apparet, nec non conicum, collo carens, animadvertit, quod cololum totum in segmentum inferius receptum ore uteri, velut apice suo, desiit. Mense elapso, omnia symptomata minus conspicua facta brevi omnino evanuerunt.

c) Variarum commutationes organicae, vel in utero vel extra uterum in visceribus abdominalibus vel in peritoneo exortae, graviditatum apparentium classem, arctioribus limitibus circumscriptam, distinctu facilem, efficiunt, ut tympanitis uteri, quam tamen exstare nonnulli omnino negant, fieri non posse rati, ut muscoli uteri aëre inflentur. Pertinet huc et hydrops uteri, quem non esse, quidam asserunt, cavo uteri membrana serosa carente adducti, casusque, qui observati

sunt, pro massa hydatidum, tympanitidem vero uteri pro tympanitide intestinali habentes Praeterea hydrops ovarii, ascites etc. huc referuntur.

1. Hydrops uteri, de quo P. Frank <sup>1)</sup> haec ait.: „Principis germani iam provectae aetatis uxor, cessante fluxu menstruo, uterum sibi ac ubera indies magis turgere animadvertens, archiatrum proprium atque rei obstetriciae magistrum consuluit. Gravidam esse dicunt atque singula ad partum requisita seduli ordinant atque praeparant. Loco foetus interim femina princeps insignem aquarum copiam utero, mox abhinc collapsuro, explodit. Post annum circiter eadem huic phaenomena succedunt. Aquarum novam ex utero profusionem praesagiunt, sed illarum in vicem foetus vivax, non absque gravi famae virorum, in arte diu versatorum, laesione, excluditur.“

2. Hydatides uteri <sup>2)</sup>. Puellae annos 24 natae abdomen intumescere coepit, mensesque fluere albo satis profuso stipati irregulares existunt. Quo appetitus perversus accessit, quibus ex symptomatis quamquam de graviditatis initio suspicio orta erat, tamen, mensibus 4 transactis, status idem mansit. Mense nouo, aegrotae abdomine non maiore facto, quam quarto graviditatis mense solet, nulla valetudinis commutatio est exorta. Sub mensem duodecimum solito menstruorum tempore quum dolores ad partum exstitissent, massa

1) De curandis hominum morbis. Tubingae 1811. Lib. VI. p. 302.

2) Orfila, méd. lég. 3. édition revue. Paris 1836. T. I. p. 293.



mollis, inaequalis, capite foetus maturi duplo maior, pondere 3 lib. aequans, ex tela cellulosa, filamentis albidis, magnaue acephalocystarum parvarum multitudine composita in lucem est edita. Quo facto, postquam sanguinis profusio sat larga secuta est, die quarto febris lactea, lactisque secretio profusa coepit, quae, quum dies 10 durasset, demum medicaminum purgantium usui cessit.

3. Hydrops ovarii et hydatides 1) „Foemina quaedam eodem, quo maritus cum ea concubuit, temporis momento, vehementissimo rumore perterrita, tenui tunica lintea induta, foras egressa, domum suam incendio correptam cernens, summo terrore perculsa est. Menstruis modo penitus cessatis, abdomen sensim intumuit, seque gravidam habuit mulier, licet tumor latere sinistro exortus irregularis esset. Mense vix nono peracto dolores obvenerunt partum praesagientes. Obstetrix advocata infantis partes iam sentire sibi habuit persuasum, seque iam accinxit, illum excipere, quod vero cum nimis diu perduraret, medicos nonnullos advocavit, ut ei opem ferrent; sed hi, et ipsi partum infantis adspectantes, vires foeminae remediis internis recreaverunt. Nonnullis paulo post diebus sub doloribus vehementissimis magna sanguinis copia et frustulae membranaceae in lucem editae sunt, abdomine tamen nullo modo abitum suum imminuente. Lochiis, quae ita

1) Kupfer, de graviditate ovarii, dissert. inaug. Dorpati 1822. pag. 36 et seq.

videbantur, aliquot tempus persistentibus, quies eatenus rediit, ut nullus denuo nisus parturiendi intraret. Iterum tamen abdomen adaugebatur, ac pondere suo maximas molestias gravidae excitavit, ita ut et aegrae et obstetrici et medicis spem graviditatis aleret, potissimum, cum illa passim motus infantis percipere opinaretur. Quo demum statu binos annos vexatam aegram sumopere macilentam viribus fere omnibus exhaustam Dorpatum aggredi iusserunt, iis graviditatem extrauterinam nunc demum perhibentibus. Illustrissimus professor Deutsch, et alter quidam medicus advocati sunt; hic scilicet posterior graviditate extrauterina, quae adsit, nimis facile commotus, sub ipsa prima exploratione in fundo vaginae postrorsum satis perspicue partes inferiores infantis tangere sibi persuasit, quia ipsum abdomen, irregulariter extensum opinionem confirmare visum est, licet tota intumescencia ab infante solo exorta esse non potuisset, sed illustr. Deutsch exploratione in vario feminae decubitu instituta mox sibi persuasit, morbosum potius ovarii statum assumendum esse, qui ex parte indurationem, ex parte vero aquam accumulatae prae se ferret. Ut igitur status leniatur, quindecies paracentesis instituta est, et magna copia lymphae flavescentis coloris prima paracentesi elicitae, pluries tricuspidis tubulus ad latus sacculo alteri aqua repleto obviam ferri videbatur; quocirca illustr. Deutsch eum huic parti immisit et massam ex rubro rufam, satis spissam, fere pultaceam elicit, qua de causa iam feminae vitae adhuc degenti, plures cavitates tumoris se-

inunctae adfuerint oportebat. Muliere demortua ovarium, nimia excellens magnitudine, fabricam penitus commutatam et in hydatidum innumeram cohortem conversam palam fecit.“

4. Hypertrophia renis <sup>1)</sup>. De femina quadam, cujus in regione hypogastrica tumor duriusculus eadem, qua uterus gravidus quarto mense est, magnitudine praeditus persentiri potuisset, a medico in consilium adhibito pro utero habitus, Orfila memoriae tradidit. Mensibus nonnullo ex tempore suppressis abdomen magis magisque intumuit, nec non fluctuationes sentiri potuere. Punctione prima instituta, aliquot aquae guttulae, in secunda pluribusque aliis postea susceptis nihil emanavit. Annis duobus post quum aegrotata occubisset, cadaveris sectio renem sinistrum adeo adauctum, ut lib. 35 aequaret, monstravit.

Dignissimum autem, qui memoretur, casum, quippe in quo rerum conditio, quae obtinuit, certissime sit cognita, eximiae professoris summe venerandi Dr. P. U. Walter liberalitati acceptum referimus.

5. Fibrochondrois uteri <sup>2)</sup>. Puella corporis statura parva, constitutione robusta, habitu plethorico, annos 21 nata, anno 1835 ineunte subinde ob graviditatem in universitatis nostrae nosocomium obstetricium veniebat. Exploratione externa a professore doctissimo P. U. Walter instituta, pelvim minorem non parum coar-

1) Orfila, l. c. T. I. p. 282.

2) Ueber fibröse Körper der Gebärmutter, Denkschrift zur Jubelfeier etc. v. Dr. P. U. Walter, Professor der Geburtshülfe, Dorp. 1842.

elatam esse apparuit. Abdomen admodum extensum erat, interque scrobiculum cordis et umbilicum convexitas globosa certo persentiri poterat, levem et ubique aequaliter solidam se exhibens. Similis induratio ab utroque abdominis latere, praesertim parte laeva ab umbilico descendens, aderat, umbilico ipso paululum vesicae ad instar prominente. In exploratione interna extra vaginam in pelvis minoris dimidio superiore parte sinistra tumor, satis durus, aequabiliter rotundus, capiti foetali similis, quem digitus circumire poterat, est cognitus. Portio vaginalis, partem dextram versus promota, ad ossis pubis dextram horizontalem posita, deorsum et ad partem posticam sinistramque conversa, paululum tumida, aequaliter rotunda, emollita,  $1\frac{1}{2}$ '' longa, labio oris uteri utroque pari longitudine, nullis plicis, foveaque oris uteri rotunda et oclusa insignis erat. Anni 1832 mense Novembri, primum se concepisse aegrotata narravit, quo tempore et nosocomium obstetricium subinde adierat. In commentariis a professore illustrissimo Deutsch, tunc temporis nosocomii directore, de hoc casu his verbis scriptum est: „Unterleib einige Finger breit oberhalb des Nabels, der Nabel von oben hervorgetrieben, die Scheide eng, rauh durch angeschwollene Drüsen, die portio vaginal. stark nach rechts verdrängt, dem Anscheine nach aus dem rechten foramen ovale hervortretend und nach hinten und links gerichtet, tief,  $\frac{1}{3}$  Zoll lang, sehr weich; das Orificium ein Grübchen bildend, eng geschlossen; die vordere

Scheidewand links stark gespannt durch einen harten Körper, der bei flüchtiger Untersuchung für den vorliegenden Kindestheil gehalten werden konnte, aber kein solcher ist, sondern sich wie eine Speckgeschwulst anfühlt, die ohngefähr von der linken Seite des ossis sacri ihren Ursprung nimmt.“

Mense Martio inito, anni 1833 puella foetus motiones se persensisse affirmavit.

Rus reversam infantem mortuum se peperisse perhibuit, puerperio ad normam decurrente. Jam iterum se idque sexto mense gravidam esse aiebat, mense ante foetus motionibus perceptis.

Qua puella ob casus gravitatem in nosocomium recepta, haec comperta sunt:

1. Feminam gravidam esse.
2. Non primum esse praegnantem.
3. Alteram graviditatis partem dimidiam iam ad finem vergere.
4. Infantis quae esset positio, nullo modo definiri posse.
5. Maiorem pelvis minoris partem tumore haud exiguo impletam esse.
6. Ob tumorem, nec non coniugatam haud parum coarctatam de partu statui non posse nisi prognosin infaustam.

Propter prognosin adversam quum a prof. Walter complures medici, in his Deutsch, prof. emeritus artis obstetriciae, professores Moier, Erdmann, Inosemzow Mosquensis et Pirogow essent consulti, eorum nullus,

quin graviditas adesset, dubitavit, tumore pro fibroide habito. Mensibus 2 elapsis, ope stethoscopii strepitus, quem vocant, uterinus dextra ab umbilico parte clare est auditus, qui tamen, quum per tres menses adfuisset, desiit. Cordis palpitatio nunquam est percepta.

Tempus, quo partum editum iri speraverant, quum, nulla commutatione exorta, iam dudum elapsum esset, quaestio est obiecta, num omnino aegrota unquam enixa esset. Percontatione diutius continuata, non peperisse unquam, cognitum est. Aegrota per 6<sup>1</sup>/<sub>2</sub> annos observandi causa in nosocomio relicta, cadaveris sectio fibrochondroidem totum abdominis cavum explentem, parte anteriore introitus pelvis et utroque osse ilium innitentem, hinc usque ad scrobiculum ascendentem, maiore eius diametro ab altero latere ad alterum protensa, obtulit.

7. Tympanitis intestinalis<sup>1)</sup>. Femina iunior brevi post nuptias tempore mensium suppressione, nausea, salivatione, nonnunquam vomitu, mammaram intumescencia accedente, laboravit. Abdomine sensim tumefacto, mense 4 aegrota motiones, quae foetus credebantur, in abdomine persensit, valetudine ceteroquin non turbata, ciborumque concoctione facili. Mammae fluidum lacti simile secernunt, areola colore fusco tincta, denique omnia graviditatem secundam veramque sperari iubent. Levret, cui partus iuvandi cura mandata erat, ipse fe-

1) Baudelocque, l'art des accouchements. Paris 1782. T. II. pag. 658.

minam gravidam esse censuit. Quo brevi mortuo Baudelocque medicus delectus est, qui primum cum altero medico feminam visit. Qui posterior, manibus aegrotae abdomini appositis, se motus foetales sentire dixit. Baudelocque tamen, cum et ipse manus admovisset, quamquam motus perciperet, hos tamen foetales non esse professus est, quo facto postquam, exploratione instituta, uterum parvum, parum evolutum, valde macilentum invenit, abdominis extensionem ab aëre in visceribus contento deducendam esse statuit. Horis 24 post examen transactis, femina, quum dolores ingruissent, nonum iam graviditatis mensem esse arbitrata, partum incipere, creditit. Ad quem rebus necessariis praeparatis, lecto incubuit. Paulo post tamen dolores colicae, permagnae aëris copiae per anum expulsionem abdominisque collapsu stipati, extiterunt.

8. Ascites, rerum conditione favente, v. c. menstruis cessantibus, motibus foetalibus perceptis etc. pro graviditate haberi potest. G. Schmitt in opere suo iam supra allato complures status asciticos, graviditatis indicia comitatos, ex sua ipsius praxi commemoravit. Sic feminam quamdam, rheumatismo uteri perfunctam, gravitatem, inflationem, abdominisque dolores ad crura tendentes conquestam esse narrat. Quin etiam motiones, quales in graviditate perciperentur, sibi sentire visam esse, quae adeo extrinsecus, diversis abdominis locis ad tempus elevatis, conspicerentur. Postea ascites se evoluit. Aegrotam, quae semper affectioni suae graviditatis symptomata subesse crediderat, iam magis, quam

antea, huic opinioni indulgere coepit, menstruis bis desideratis. Qua in re semper motiones in abdomine perceptas, quae continuatae tam manifesto extrinsecus cerni sentirique poterant, ut etiam medicus alioquin sagacissimus deciperetur, graviditatis argumento esse putavit. Neque tamen aderat nisi ascites cum inflationibus, quod malum, remediis accommodatis aptaque diaeta praescriptis, perfecte sanatum est.

9. Memorabilior ob sectionis cadaveris eventum, quo quidem rara motionum foetalium spuriarum causa est cognita, is videtur casus, quem P. Frank 1) his verbis describit: „Foeminam 54 annis iam natam ex phthtisi pulmonali asciticam per aliquot iam hebdomades Bruchseliis sine fructu tractavimus. Fiduciam hinc suam eo magis haec nobis subtraxit: quod, non obstante aetate iam provecta, praegnantem se autumans, veram nobis sui status cognitionem deesse praetenderet. — „„Octo prolium, inquebat, iam mater fui; nec foetus in utero mihi motus sunt incogniti.““ — Volam igitur manuum utramque abdomini frigidam applicantes, nos ipsi motus in uteri regione sat fortes, quasi genu foetus aut cubitus alliderent, saepius percepimus. Cum tamen uterus exploranti se digito vacuum exhiberet, spem conceptionis nullam esse declarare continuavimus. Alter hinc medicus, et quidem artis exercitio clarus, aegrotam, arcessitus, suscepit. Non satis cautus interim hic fuit, quia mulieris as-

1) l. c. pag. 280.

sertio motusque in abdomine percepti eundem fefellerint. Morte vero huius aegrotae post tres septimanas insecuta cum sectionem Caesaream promptius institui iussisset hic medicus, magna copia aquarum ex cavo abdominis emissa, utero vetulae prorsus corrugato atque vacuo, tumores aliquot duri, angulosi, pedunculis membranosis satis longis peritonaeo adfixi, reperti fuerunt, qui scilicet tumores, vivente adhuc muliere, mediis in aquis libere fluctuantes, qualicumque ratione agitati, motum foetus perfecte imitaverant.“

10. Ad hanc graviditatum apparentium classem ii quoque referendi sunt casus, in quibus glandularum mesenterialium hypertrophia eximia, ut quae commutatio organica sit, graviditatem simulet. Quae hypertrophia ad quem usque gradum progredi queat, documento est cada-veris sectio, ab Orfila <sup>1)</sup> memorata, in virgine annorum 73 facta; cuius epiploon gastrocolicum adeo erat adauctum, ut 14 lib. pondere aequaret, induratum et tantopere ossificatum se exhibens, ut, quum illud per totam longitudinem, crassitiemque aperire vellent, serra uti necessarium esset. Talis harum glandularum hypertrophia, cum symptomatis incertis iuncta, praesertim si motus foetales accedere videntur, qui quidem hoc in casu nescio an pulsatione abdominali, pressu ad vas aliquod maius exhibito provocata (qua de re statim locus erit, ubi disseratur) simulari possint, facile graviditatis suspicionem moveat.

1) l. c. pag. 283.

11. Kreysig in opere <sup>1)</sup> suo memorabilem pulsationis abdominalis casum refert. In quo causae suberant indurationes glandularum mesenterii, simulque huius organi propter tentionem dislocatio. Uxor liberi Baronis Sch . . . . ., annos 21 nata Dr. Kreysig consilium expetivit. Medici antea consulti, eam fortasse aneurysmate alicuius arteriae sub diaphragmate sitae laborare, putaverant. Praecipue affectiones sensu quodam languoris in ventriculo percepto, proclivitate ad animi deliquia, praesertim in stando conspicua, sensuque anxietatis molesto, vix describendo, sub cordis scrobiculo percepto, postea doloribus, spinam versus tendentibus, cum strepitu, qui exaudiri poterat, coniunctis, quibus aliquid revelli videretur, consistebant. (Ceterum iste strepitus pro uterino haberi potuit.) Per tres anni quadrantes hanc feminam medici pro gravida habuerant curaverantque, qua re vires eius vel magis debilitatae fuerunt.

*II. Graviditatis apparentis signa, affectione nervosa, plerumque hysterica, provocata. Graviditas nervosa.*

In omnibus, quos adhuc protulimus, casibus non erant, nisi causae materiales, quibus graviditas apparens efficeretur, praesertim contractiones uteri pro motibus foetalibus habitae, utero irritationi, corporibus alienis in ipso contentis productae, per reflexum respondente. Aliis in

1) Krankheiten des Herzens von Dr. Kreysig. Berlin 1814. Parte 1, pag. 313.

casibus intestina aëre inflata etc. hos motus provocant. Sunt tamen et motus spasmodici atque convulsivi, vel in utero vel integumentorum abdominalium musculis orti, pro activis foetus motionibus habiti, nulla, quae ad hunc diem monstrari potuerit, commutatione materiali nitentes. Quae motiones praecipue in feminis hystericis sunt observatae, in quibus contractiones, crebrius inventas, adeo perpetuas i. e. contracturas existere posse, inter omnes convenit. Ex eiusmodi spasmis frequentissimus est muscoli sternocleidomastoidei, torticollis hystericus dictus. Interdum strabismus observatur, nonnumquam etiam trismus continuus. Musculorum respirationis spasmi clonici feminam quandam, ut sonos canis latratui similes proferret, adduxerunt; alteri singulum horas 36 durantem effecere. Quos casus ideo afferendos censui, ne quis miretur, quomodo in hystericis musculorum abdominis vel uteri contractionibus motus partiales existere queant, motionibus foetus haud dissimiles. Haec graviditatum apparentium classis id sibi proprium vindicat, quod in iis potissimum accidere solet, ut vel sub finem graviditatum vel in ipso fine dolores quidam ad partum, atque contentiones foetum propellendi, doloresque regionis sacralis, tenesmi, denique omnium eorum symptomatum complexus appareant, quae partui sunt peculiaris.

1. Femina quaedam B. 1) annos 43 nata, summo tempore hystericis, quae iam tredecim partus ediderat,

1) Hufeland's Journal 1815. Parte II. pag. 3; casus a Dr. Klein observatus.

menstruis cessantibus, rursus praegnans sibi videbatur. Symptomatis solitis hoc accessit, quod iusto tempore motiones foetales persensit, abdominis volumine in dies accrescente. Quum inde menstrua, quamvis non modo normali, rursus apparerent, femina hac re parum laeta, tamen inde solatium hausit, quod id phaenomenon interdum evenire ab amicis suis audisset. Exitus graviditatis quo propius appetit, eo intolerabilior aegrotae status existit. Eo ipso die, quo se parituram expectabat, tempore matutino dolores ad partum ingruere cum convulsionibus dentiumque crepitu coniuncti. Quae in re abdomen valde tensum tenesmi que tanti erant, ut quovis temporis momento, ne infans praeceps expelleretur, metueret. Urina, aegrotata invita, emittebatur. Exploratio quum nullam adesse graviditatem monstravisset, postquam femina falsa spe deceptam esse sibi persuasit, subito dolores ad partum et convulsionem ceteraque symptomata desiverunt, aegrotata se non intelligere profitente, quomodo sibi rem tam evidenter et dolorifice animo fingere potuisset.

2. Uxor opificis 1), ferme annorum 30, paululum cachectica, anno cum dimidio ante primum enixa, infante per hebdomades 11 lactato, brevi post tum ex variis phaenomenis nervosis, tum ex abdominis intumescencia se iterum gravidam esse conclusit. Qua in re quamquam menstrua secundum periodos suas profluebant, tamen, quod etiam in priore graviditate, duobus men-

1) Schmitt l. c. casus 31.

sibus ultimis exceptis, continuata essent, eorum non ita magnopere rationem habendam esse existimavit. Tempore progrediente dolores urgentes, veris ad partum doloribus pares, exstiterunt, quibus adducta quum obstetrix iam iam partum factum iri speraret, tamen, nullo foetu expulso, haec symptomata evanuerunt. Uterus a statu normali non abhorrebat.

3. Femina annorum 28<sup>1)</sup>, statura parva, obesa, quae aliquot annis ante primum idque ultimum pepererat, iterum se concepisse et tertium graviditatis mensem iam attigisse persuasum habuit. Quod ex quibusdam ciborum appetentiae anomaliis, ex mammarum et abdominis intumescencia coniecit, menstruis tamen, quamvis parcius minusque regulariter, fluentibus. Femina etiam motus foetales sibi sentire videbatur, quo statu quum id tempus appropinquasset, quo se parituram sperabat, abdomen convexitatem aequabilem atque altitudinem ventris 6 menses graviditatis obtulit. Schmitt, hac causa perpulsus, quamquam, vel exiguo pressu exhibito, mammae turgidae fluidum lacti aquoso simile ederent, num vera graviditas adesset, dubitare coepit. Quum inde aegrotata partus expectationem in mensem tertium distulisset, tamen haec quoque dies nullo successu, praeterquam quod nonnullas per horas dolores partum praesagientes durabant, exiit, exploratione vaginali quoque nullum graviditatis indicium praebente. Postea omnia illa sponte cessarunt.

1) Schmitt l. c. casus 29.

4. Pulsatio abdominalis, cum incertis graviditatis symptomatibus coniuncta, in hystericis, quamquam raro, motus foetales simulavit. Haec pulsatio, qua hypochondriaci et hystericæ maximopere agitantur, ut manus contrectans ex variis profundisque punctis mirum in modum percussatur vel totum concutiat abdomen, nonnumquam cum pulsum temporibus minime congruit, inaequalibus tum intervallis tum impetibus exorta. Quare saepius abdomen inflatum coniunctum est. Albers<sup>1)</sup> de fabri cuiusdam laminarii uxore narrat, in qua pulsatio abdominalis tam certum graviditatis signum fuerit, ut huic magis, quam omnibus reliquis, v. c. menstruorum cessationi, confidere licuerit.

5. Casum memoratu dignissimum in quadam Catharina Artaud, annos 44 nata, constitutione lymphatica praedita, quae optima antea usa fuerat valetudine, quamquam conditione misera procul a marito degebat, Tardieu<sup>2)</sup> observavit. Annis 3<sup>1/2</sup> ante menses nullo valetudinis incommodo desierunt, mammaeque et abdomen intumuere. Quo facto, mensibus 4<sup>1/2</sup> elapsis, mulier, quum motiones foetales sentiret, se rursus gravidam futuram nullo modo dubitavit. Ceterum menstrua denuo apparentia a norma non discesserunt. Mense nono post per biduum vehementissimi ad partum dolores ingruebant mulierque usu edocta, conceptionis fructum egredi adeoque liquorem amnii emanare

1) Magnus, dissert. inaug. de pulsatione abdom. Dorpati 1827.

2) Annales d'hyg. publ. T. XXIV. anno 1845. p. 429.

sensit, in partu perfecto nulla praeter infantem re deficiente. Inde, doloribus finitis, abdomen tamen mammaeque volumen suum servabant.

Nono quoque mense transacto, rursus dolores ad partum regulariter apparebant motusque foetales maxime, quum mater et embryon cibis carebant, adaugebantur. Abdomen, fovea umbilicali adhuc conspicua, eiusdem erat magnitudinis, cuius mense graviditatis septimo vel octavo solet. Palpitatio duritiem quandam ac renisum universalem, fere ubique parem, animadvertit. In abdominis integumentis deprimendis fere nullus tumor invenitur, in percussione omnibus locis sonum paene tympanicum edentibus, nec non auscultatione omnem abdominis streptum abesse cognoscitur. Manu ad abdominis tegumenta imposita, nunc undulatio quaedam ab uno latere ad alterum pertinens sentitur, nunc totum abdomen ad partem dextram indeque rursus ad sinistram iactatur, nunc impulsus fortis a parte superiore deorsum vel a postica ad anteriora versus percipitur. Medico absente femina quietissime se habet ac fere continuo abdomen manibus teneus huc illuc movet, se infantem cunis impositum agitare dicitans. Hunc interdum flebiliter suspirantem audire videtur, quem sonum una ex vicinis pro abdominis borborygmis habuit, altera cum ranae coaxatione comparavit. Exploratione tum vaginali, tum per rectum instituta, nullam graviditatem adesse apparuit. Valetudo universa sat comoda erat, sermo haud insipiens.

Quem casum, quum satis constet, si quando con-

ceptionis fractus extra sedem evolutionis normalem positus excoli desierit, organismum subinde contendere, ut hoc corpore alieno liberetur, facile quis pro gravitate extrauterina putare possit. Verumtamen, ut alia signa diagnostica omittam, in graviditate extrauterina semper tumor diversae magnitudinis, diversis locis collocatus, invenitur, quem nonnunquam etiam duplicem observarunt. Etenim uterus ea in re saepe numero usque ad uteri gravidi mense 3 vel 4 ambitum accrescit, id quod in muliere a Tardieu observata non item se habuit. Plurimum tamen mirationis motus foetales praebent, quos quidem Tardieu, analogia ductus, mere arbitrarios fuisse testatur.

In omnibus gravidatum apparentium generibus, quemadmodum supra monuimus, et quidem minus in istis, quae commutationibus organicis nitantur, in hysteris magis, ad signa mere physica, uti abdominis mammaeque intumescantiam, lactis secretionem etc. alterum quoddam momentum adjungitur, animo perpetuo una re occupato effectum. Sic cogitatio quaedam fixa, quam aegrotae vix sibi evelli patiantur, quaque exenta sibi infelicissimae videantur, animis inhaeret, unde fit, ut non modo se ipsas, sed alios quoque decipere studeant. Qui status non procul abest a vera monomania, nec longius a fraude distat. Tardieu sic loquitur: „On ne peut se refuser à voir dans l'ensemble du récit de cette femme, dans son allure, dans la durée de sa prétendue grossesse, dans ce commerce qu'elle établit incessamment entre elle et son enfant, quand elle mange



pour apaiser sa faim et calmer ses mouvements, quand elle le berce, quand enfin elle se figure l'entendre crier dans son sein, on ne peut se refuser à voir dans tous ces symptômes les caractères d'une aberration d'intelligence, d'une véritable monomanie." Quae viri doctissimi, cui feminam istam observandi occasio oblata erat, verba haud indigna sunt, quae afferamus, ut pateat, non tantum motus foetales, quos Tardieu a voluntate pependisse existimat, verum etiam totam graviditatem fraude vacare. Tardieu iudice, hic casus inter graviditates mente captarum opinatas et graviditates simulatas quasi intermedius est.

Eiusmodi hallucinationum initia persaepe in commutatione aliqua organica sunt reposita, quae in casu ultimo non videtur fuisse nisi tympanitis intestinalis. Alias tamen ne sic quidem res sese habet, sed graviditas delirium verum, monomania videtur esse.

Ad quod graviditatum apparentium genus priusquam perveniamus, operae pretium est, commemorasse, in animalibus quoque graviditates opinatas esse inventas, qua de re Tardieu <sup>1)</sup> haec narrat:

6. „Une petite chienne qui avait déjà mis bas plusieurs portées fut convertie. Son ventre grossit, ses mammelles devinrent plus volumineuses et on voyait dans l'abdomen des mouvements prononcés. Au bout de quelques mois, elle fit des efforts comme pour accoucher. Le ventre s'affaissa, les mamelles se ren-

plirent de lait. Cette chienne poussait des cris pour appeler ses petits. Cet état dura quatre jours.

7. Une chatte déjà plusieurs fois mère éprouva absolument les mêmes symptômes de gestation, et ne mit bas aucun petit.

8. Une vache saillie par un taureau à Ecully, près Lyon, en imposa par l'accroissement de son ventre jusqu'au huitième mois de la gestation. Cette prétendue gestation disparut du soir au lendemain; la vache semblait demander son veau. On en trouva dans le voisinage qu'on lui donna à nourrir."

### III. *Graviditates apparentes monomantiae.*

Quae graviditatis apparentis forma quum nobis minoris momenti sit, satis ducimus, breviter casuum quorundam mentionem intulisse, qui, tale graviditatis apparentis genus omnino exstare, doceant.

Sic, ut exempla proferam, femina quaedam mente capta ferè singulis noctibus sex infantes parere sibi videbatur, doloribus quoque ad partum vexata. In qua muliere, praeterquam quod cogitationum omnis connexus deerat, etiam delirium eroticum perquam erat evolutum, ut aequè feminas ac mares venaretur.

Altera quaedam, vidua, subito motibus foetalibus perceptis, quondam vesperi ad similitudinem feminae doloribus ad partum cruciatae gemere incepit, totam per noctem his hallucinationibus vexata.

Virgo annorum 60, quae matrimonio clandestino medico seni nuptam se esse aiebat, omnibus, quae ad

1) *I. c.* anno 1846, p. 96.

pariendum necessaria sunt, quam optime apparatus, mane quodam lecto incubuit. Querelae clamoresque et nisus, ceteris mente captis multum ridentibus, ad vesperam usque duraverunt.

Aegrotā alia florenti aetate, amplius vices hoc spectaculo repetito, semper se partu perfunctam infantemque sibi ademtum esse persuasissimum habuit, plures per dies in lectulo se continens, omnibusque regulis, quae puerperis praecipere solent, diligentissime obtemperans.

**B. Femina, licet non sit gravida, tamen se praegnantem esse simulat. Graviditas simulata.**

Non desunt, quae, ad vestitam quod attinet, multis artibus utantur, ut gravidarum speciem prae se ferant. Quin etiam inventae sunt, quae partum imitari studerent. Sic feminae, pulvinis abdomini impositis, linteisque, quae sanguine menstruali inquinata erant, amotis se praegnantem esse affirmarunt. Puella quaedam<sup>1)</sup>, quae iuveni nubere cupierit eumque finem assecutura ab illo se fecundatam esse simularit, fascias sibi applicuisse statoque tempore, ut ferebat, partum edidisse narratur. Inde infantem, deformem esse mentita, quam diligentissime occultavit mortuumque silentio sepehēre in animo habuit. Tum disciplinae publicae custodes nova progenie potiti sunt, quae quidem non erat nisi gallus

1) Neumeister's Repertorium, 13. Cur. August, pag. 98.

gallinaceus mactatus, cuius ano, ut parva effingeretur facies, animalis oculos inseruerat. Facies ficta calantica oblecta, ceterum corpus fasciis erat cinctum. Altera quaedam puella, vagina linteis referta, postquam tres annos se gravidam simulavit, rem eo adduxit, ut verum partum imitaretur<sup>1)</sup>.

Verumtamen omnes hae artes medici exploratione discutiuntur, cuius est, abdomen denudatum et genitalia interna explorare, auscultationis quoque et ceterorum signorum ratione habita. At eiusmodi fraudem deprehendere tum sane difficile esse potest, quam organicae in utero vel circa eum commutationes adsunt. Talibus in casibus, quorum complures supra protulimus, vel medici artis peritissimi nonnunquam decepti sunt.

Observationem a Tardieu descriptam ex parte ad graviditatum simulatarum ordinem esse referendam, iam ante admonuimus. Quo loco virum doctum et aegrotā observandā et analogiā sibi persuasisse, varios integumentorum abdominis motus a feminae arbitrio pependisse, iam commemoravimus. Tardieu sententiam suam firmaturus alterius feminae, a cl. Lauret<sup>2)</sup> descriptae, mentionem facit, quam tumore ovarii decem per annos durante instructam vehementissimis abdominis motibus vexatam esse narrat. „Guérissez-moi, docteur, guérissez-moi; je ne puis plus vivre comme cela; je veux me tuer. Dites-moi que je serai guérie bientôt. Il faut me déchirer le ventre. Je ne dors pas, je m'assoupis quelquefois, mais ce n'est pas de cela qu'il s'agit; voyez mon ventre comme il va. En même temps les muscles de son ventre sont agités d'une sorte de mou-

1) Velpeau, Traité d'accouch. Paris 1835. T. II. p. 558.

2) Fragmens psycholog. Paris 1834, pag. 374.

vemens convulsifs si fréquens qu'on en pourrait compter plus de cent dans une minute. Pendant le jour et surtout si elle n'est pas avec des médecins elle a de longs intervalles pendant lesquels les mouvements du ventre, qu'elle dit continuels, cessent complètement.“

Has musculorum motiones, quas facile convulsivas putaveris, Leuret arbitrarias fuisse contendit.

Deinde Tardieu casum quendam a Moriceau <sup>1)</sup> traditum affert, quo femina creberrimis usque dolorificis abdominis motibus fuerit cruciata, „lesquels (sc. motus) estoient si manifestes qu'on voyoit souvent son ventre estre aussi fortement agité en plusieurs différents endroits que si elle eust eû deux ou trois enfants dedans et elle l'avoit mesme aussi gros, et le sein, que si elle eust esté preste d'accoucher.“

Infra Moriceau haec ait : „mais je découvris pour lors qu'elle faisoit volontairement tous ces mouvements par une pure affectation de faire admirer en elle une chose qui paroissoit si extraordinaire aux yeux de tous ceux qui la voyoient.“

Ambrosius Pareus <sup>2)</sup> feminam quendam mentitam esse narrat, serpentem sibi dormienti in abdomen irripisse, quae mulier abdominis motibus doloribusque misericordiam excitans mendicitatem vixerit. Pareus ac duo alii medici, ut istam explorarent, rogati sunt. De qua exploratione Pareus his verbis utitur. „Estant de rechef r'assemblés, conclusmes qui je luy mettroit un speculum au col de la matrice et partant fut posée sur une table où son enseigne fut desployée pour luy

1) Traité des maladies des femmes grosses, 4. éditon, Paris 1694, 1, 1. p. 114.

2) Des monstres et prodiges, Cap. XXV, Edit. Malgaigne. Paris 1840. T. III. p. 52.

appliquer le speculum, par lequel je feis assez bonne et ample dilatation pour sçavoir si on pourroit apercevoir queüe ou teste de cette beste : mais rien ne fut aperçu, excepté un mouvement volontaire que faisoit la dite garce par le moyen desdits muscles de l'épigastre.“

Ad graviditatis apparentis, mutationibus organicis innixae, signa si facultas accesserit, diutina exercitatione acquisita, integumentorum abdominis musculos ad libidinem commovendi, dubium non est, quin graviditatis simulatae diagnosis futura sit difficillima. Attamen huiusmodi casus, mihi non contigit, ut reperirem, cuius rei causa in eo quaerenda est, quod potestas musculos abdominales ad arbitrium tantopere, tam subtiliter, et loco circumscripto movendi, ut motus foetales simulent, non solum multitudini parum est cognita, verum etiam Tardieu primus medicorum animos nuperrime demum eo rursus advertisse videtur. Certe medici forenses illustrissimi Orfila et Devergie nullam de tali facultate atque ne de convulsivis quidem abdominis motionibus mentionem iniecerunt.

Nonnullis sic graviditatum apparentium formis ex uberrimis literarum monumentis, quantum in nobis erat, secundum signa illis peculiariter propositis, denique ad ea, quae ex observationibus supra narratis concludi posse videantur, illustranda transire liceat.

1. Unicum, quod adhuc exstat, graviditatis indicium certum cordis foetalis palpitatio est.

2. Medicus in graviditate dignoscenda ab exploratione vaginali, quae raro virum in arte exercitatum destituit, secundum cordis palpitationem, plurimum auxilii expectet. Quae exploratio saepius repetenda est decursusque graviditatis observandus.

3. Motio foetus passiva (ballotement dicta) a Devergie pro signo certissimo commendata in nullo casuum allatorum fallacem se exhibuit. Quam tamen in quibusdam casibus, praesertim situ foetus abnormi, nec non ultimo graviditatis mense, quo caput foetale permagnum ac grave est, parumque liquoris amnii reperitur, deficere posse inter omnes convenit. Ceterum, auctore Orfila, exploratori cavendum est ne uteri totius motum, musculorum abdominalium spasmum effectum, pro passiva foetus motione habeat.

4. Strepitum quoque uterinum, nulla graviditate praesente, interdum fallacissimum in modum produci posse, casus a prof. cl. Walter mecum communicatus documento est, in quo verisimile est, istum strepitum pressu tumoris ad aliquod abdominis vas maius esse provocatum.

5. Motus foetales non modo, ut Orfila et Devergie opinantur, convulsionibus uteri corpore alieno irritati vel tractus intestinalis in tympanitide motibus effici possunt, sed interdum eorum sedes in ipsis abdominis musculis est posita, qui vel convulsionibus ex innervatione anomala (plerumque in hystericis) vel ad solum arbitrium contrahi queunt. Praeterea motus foetales a tumoribus in aqua ascitica suspensis dependere posse, casus a P. Frank allatus demonstrat. Denique pulsatione abdominali inniti possunt, quae in hystericis ut nervorum vasomotoriorum affectio spastica existit.

6. Ex signis graviditatis, quae dicunt, incertis amenorrhoeae faciendae est mentio, quam quidem, nisi in vulgo, propterea quod in feminis praegnantibus fere semper adest, nimiam haberet fidem, commemorare omnino supersederem. Menstrua potius vel per totum

graviditatis decursum durare vel demum sub eius finem evanescere possunt. Quin etiam casus non desunt, in quibus feminae, ante conceptionem menstruis suppressis laborantes, demum, postquam conceperunt, mensibus regularibus uti inceperint.

7. Cl. Tardieu sententia de musculorum abdominalium ad libidinem motibus tantis, ut motiones foetales simulare possint, nos adducit ut via physiologica, num ii existere queant, diligentius perquiramus. Qua in re monendum est, Tardieu observasse, aegrotam, dum muscoli abdominales moverentur, regionem renalem manibus fulsisse, acerrimos renum dolores, quibus renes dirumpi viderentur, conquestam. Schmitt<sup>1)</sup> feminam quandam regionem sacralem fortiter manu fricuisse tradit, quae frictio cum conspicua totius abdominis elevatione ac tensione fuerit coniuncta.

8. Graviditates in animalibus quoque observatae, quantae utilitatis sit ad hominum morbos illustrandos animalium affectiones novisse, argumento sunt, qua re, ut in pathologiam comparatam studiosissime incumbamus, admonemur.

9. Medici forensis est, in casu ipsi obvio diudicando casuum ancipitum et perplexorum meminisse, neque huius cl. Devergie adhortationis oblivisci: „d'avoir présent à la pensée qu'il est peut-être plus facile de prouver l'existence que de démontrer l'absence de la grossesse.“ Praecipue momentum morale, quod plerisque graviditatibus apparentibus praeter mutationes organicas, quibus nituntur, peculiare esse diximus, nunquam est negligendum, quod si semper voluntati imputemus, iniuste facturi videmur.

1) l. c. casus 24.

In omnibus casibus, in quibus medico forensi dubitatio oriatur, teste Orfila, eius officium est, iudicium in feminae gratiam facere, iudicesque, ut expectent, adhortari. Quod quum ita sit, graviditatem, si matrem foetumque sic servatum iri speraverit, adesse concedat, sin autem status non gravidus feminae reae commo fuerit, contrariam agendi rationem sequatur.

---

### **Theses.**

1. Medicus, qui deficit in literis et proficit in arte, plus proficit, quam deficit.
  2. Usus ferri externus interno est efficacior.
  3. Syphilis in therapia speciali pertractari debet.
  4. Kali iodato excepto, omnia praeparata iodi superflua sunt.
  5. Divisio symptomatum in obiectiva et subiectiva reiicienda est.
  6. Gargarismata in angina pharyngea sananda nihil valent.
-